

**Acroasis Dr. Elisabethae Galántai, L.V.P.A.e sodalis, in seminario
L.V.P.A.e Vindobonensi anno MMIX habita**

D.rix Elisabetha Galántai (09. 02. 1951.)

Profestrix in universitate scientiarum Segediensi,
praeses Sectionis Segediensis Sodalitatis "Hungaria Neolatina" nominatae; scholas
habet de antiqua, mediaevali hodiernaque Latinitate, data occasione de Latinitate
medicinae. Sodalis consociationum antiquitatem, humanismum hodiernamque
Latinitatem investigantium. Fautrix Latinitatis vivae, cooperatrix professorum
illustrissimorum Samuelis Szádeczky-Kardoss(+), Julii Kristó(+), Egonis Maróti,
Ladislai Havas, Ladislai Szörényi, Francisci Makk ceterorumque.
Possidet nonnullos honores, in quibus TOP 100 Educators of Latin Philology
(Cambridge, 2005).

Filium unicum habet (nomine Thomas), qui magister mathematicae est.

SUMMARIUM:

Relatrix in animo habet annotationes facere ad laudem urbis

- > Viennensis(Viennae) splendidissimae secundum quosdam auctores tempore
- > renatarum litterarum in Europa florentium. Rerum scriptoribus huius aetatis
- > mos erat laudationes varii generis ad scriptum ornandum operibus suis
- > inserere, cuius rei exemplum ab auctoribus antiquis petiverant.
- > Oratrix hac in re potissimum sequetur opera Aeneae Sylvii Piccolominei,
- > Petri Ransani et Antonii Bonfinii; ad illustrandum textus ex operibus eorum
- > depromptos adhibebit. Adumbrabit etiam, quam saepissime eorundem is scriptis
- > appareant vestigia antiquorum auctorum.

TEXTUS ACROASIN ELISABETHAE GALÁNTAI ILLUSTRANTES

I

Multae sunt in Austria perpulchrae nobilesque civitates multaque oppida atque castella
miris aedificiis insignia, sed urbs **Vienna**, cui nomen est inditum a parvo flumine, qui (!) ipsam
praeterlabitur, et ea, quae dicitur Nova Civitas, cunctis antecellunt pulchritudine, amoenitate
situs, nobilitate ingenioque habitantium, mira structura ornamentisque sacrarum aedium, copia
divitiarum, denique aliarum multarum rerum, quarum indiget mortalium usus, mira abundantia.
De utraque harum urbium meminit Aeneas Silvius in epistolis. Ille, inquam, Aeneas, ... Novam
Civitatem *hortos vocat Hesperidum paradisumque delitiarum* propterea, quod ibi omne pomi

genus gignitur suapte natura, ibique plurimae aquarum scaturigines prataque viridantia, quae verno tempore florum mira varietate veluti ridere videntur. Haec *in loci solique laudem* vir doctissimus scripsit, sed urbis pulchritudinem, quae plane magna est, praetermisit. Longe plura dixit de urbe **Vienna**, de qua neque ea, quae sunt digna laude, neque ea, quae merito sunt vituperanda, subticuit. At vero ego ex sua illa *tam egregiae urbis* descriptione ea tantum, quae sunt laudis, non, quae sunt vituperationis, attingam, sed et ipse adieci suae descriptioni pauca quaedam, quae omittenda non censi.

Vienna, inquit, muri ambitu duorum milium cingitur, sed habet suburbia maxima, murum ambit fossa ac vallum aggerque peraltus, murus ipse sublimis et amplus debitisque intervallis habens turres et expugnacula veluti ad certamen parata. Ab oriente eam praeterfluit *Danubius, qui urbis agrum suo decursu undique reddit amoenissimum*. Civium aedes amplae sunt et sublimes, quibus tum intus tum extra suus non deest decor, parietum domorum firma ac solida artificiosaque structura, quippe cum unaquaeque paene aptas habeat fornices et aulas pro domorum magnitudine latas, habet unaquaeque sua aestuaria, quas vocitant stupas, hiemis enim rigorem et asperitatem eo modo mitigant Germani ac ceterae gentes, quae longe lateque tenent regiones glatiali polo propinquiores, fenestrae domorum vitreae sunt, hostia (!) vero ferrea, habitantium multa et munda supellex, equorum capacia stabula. Hoc unum est dedecori urbi, quod pleraeque domus non fictili sed lignea tegula operiuntur. Ingressus privati cuiuspiam domum in aedem alicuius principis te introivisse putabis, nobilium privatorumque domus liberae sunt, neque civitatis magistratus in eis aliquid iuris habent. Cellae vinariae sub aedium aedificiis construuntur, quae sunt adeo profundae et spaciosae, ut non minus sub terram earum structura tendatur. Viae urbis duro lapide adeo dure stratae, ut neque plaustrorum rotis facile conterantur. Deo ac sanctis eius dicata *templa ampla sunt ac splendida*, secto erecta lapide vitreisque et varii coloris longis latisque fenestris perlucida et columnarum *mira arte* laboratarum ordinibus, altissimis praeterea mireque artificiose testudinatis tectorum culminibus *admiranda*, sanctorum plurimae preciosaeque reliquiae argento et auro gemmisque vestitae, templorum *mirus ac multus ornatus divesque supellex*. *Sacerdotes pluribus bonis abundant*, qui clero praeest apud sanctum Stephanum, soli Romano pontifici subest. Civitas Pataviensis est diocesis, sed filia est matre maior. Est et **Viennae** monasterium, in quo meretrices ad deum conversae recipiuntur, quae canonicis horis hymnos deo Teutonica lingua decantant, earum si qua deprehensa fuerit redire ad peccatum, in Danubium praecipitatur, agunt igitur in eo coenobio pudicam sanctamque vitam ita, ut rarus de illis sermo malus audiatur. Est et hic schola nobilis liberalium artium theologiae quoque ac iuris pontificii, nova tamen et ab Urbano sexto Romano pontifice concessa. *Ingens scolasticorum numerus eo confluit ex Hungaria atque ex Alemaniae partibus superioribus*. Civitatis populus quinquaginta milium communicantium creditur. ... *incredibile* videri potest, *quaenam et quot qualiaque* e rebus humano victui pertinentibus singulis diebus **Viennam** comportantur, ovorum atque cancrorum multae quadrigae, panis diversae formae diversaeque materiae ac magnitudinis, carnes, pisces, volatilia sine numero afferuntur, ubi advesperascit, nihil venale ex his invenies. Vindemia his ad quadragesimum diem protenditur, singulis diebus trecenti ferme currus vino onerati bis terve inferuntur, supra mille et ducentos equos in singulos etiam dies ad opus vindemiarum **Viennenses** exercent, itaque dictu est incredibile, quanta vini copia in urbem inducatur, quod intra annum vel **Viennae** bibitur, vel ad externos per Danubium contra cursum aquae magno labore transmittitur. ... Hactenus de **Vienna**, ad nostram redeamus narrationem. (**Petri Ransani: Epithoma rerum Hungararum. XXXVI, 10--33.**)

II

... Verum apud **Viennam** parvum flumen est, quod inter suburbia fluit, nomine Vienna; ab

eoque dictum oppidum putant. At sive flumen a civitate sive civitas a flumine vocabulum mutuet, id mihi non est exploratum: vero tamen similis id videtur, quae digniora sunt, vilioribus dare nomina: quippe Vienna, de qua sermo est, non tam fluvius est, quam torrens, indignus a quo nomen *insignis urbs* assumeret. Sed est omnis de nomine vana quaestio, cum res ipsa constet. **Vienna** igitur ambitu murorum cingitur duorum milium passuum, sed habet suburbia magna et ambitiosa fossa et vallo cincta. Urbs autem fossatum magnum habet, inde aggerem praealtum. Moenia deinde spissa et sublimia, *frequentes turres et propugnacula ad bellum prompta*. *Aedes civium amplae et ornatae*, structura solida et firma. Ubique fornices aulae latae. Verum his aestuaria sunt loco tricliniorum, quae ab his Stubae vocitantur. Nam hiemis asperitatem hoc domitant modo. Fenestrae undique vitreae perlucet. Et ostia plerunque ferrea. In his plurimae aves cantant. In domibus *multa et munda supellex*. Equorum iumentorumque omnis generis capacia stabula; *altae domorum facies magnificaeque* visuntur. Unum id dedecori est, quod tecta plerunque ligno contegunt, pauca latere. Caetera aedificia muro lapideo consistunt. Pictae domus et interius et exterius splendent. Ingressus cuiusque domum *in aedes te principis* venisse putabis. Nobilium Praelatorumque domus liberae sunt, neque civitatis magistratus in his ius habent. *Cellae vinariae adeo profundae et spatiosae*, ut sub terra non minus quam supra terram aedificiorum apud **Viennam** esse feratur. Platearum solum stratum lapide duro, ut neque plustrorum rotis facile conteratur. Sanctis caelum tenentibus ipsique maximo Deo *templa* dicata et *ampla et splendida*, secto lapide constructa, perlucida et columnarum ordinibus *admiranda*. Sanctorum plurimae et pretiosae reliquiae, argento, auro, gemmis vestitae: *templorum ingens ornatus divesque supellex*. *Sacerdotes abundantes bonis pluribus*, qui clero praeest apud Sanctum Stephanum, soli Romano principi subest. Civitas in parochia Pataviensi est; maior filia matre. Plures in civitate domus consecratas Ecclesias habent et proprios Sacerdotes. quatuor ordines mendicantium procul a mendicitate absunt: *Scoti et Canonici regulares* sancti Augustini *admodum divites* habentur, Monialesque Sacrae et Sanctae Virgines. Ibi quoque monasterium est ad Sanctum Hieronymum nuncupatum, in quo meretrices conversae recipiuntur; quae die ac nocte hymnos lingua Theotonica decantant: quarum si qua redire ad peccatum comprehensa fuerit, in Danubium praecipitatur. Sed agunt ibi pudicam sanctamque vitam: rarus de his sermo malus auditur. *Schola* quoque hic est *liberalium artium ac Theologiae et iuris Pontificii*: nova tamen et ab Papa concessa. *Magnus studentium numerus* eo confluit ex Hungaria et Alemaniae partibus superioribus. ... Est et illic hodie Thomas Hasselbach non incelebratus Theologus, quem scribere historias non inutiles aiunt. Cuius ego doctrinam laudarem, nisi duos et viginti annos Isaiiae primum capitulum legisset, neque adhuc ad calcem venisset. Maximum autem huius gymnasii vitium est, quod nimis diutinam operam in dialectica, nimiumque temporis in re non

magni fructus terunt. ... Qui libros Aristotelis aliorumque Philosophorum habeant, raros invenies, commentariis plerumque utuntur. Ceterum studentes ipsi voluptati operam praebent, vini cibique avidi: pauci emergunt docti, neque sub censura tenentur: die noctuque vagantur, magnas civibus molestias inferunt; ad haec mulierum procacitas mentes eorum alienat. Civitatis populus quinquaginta milium communicantium creditur. ... *Incredibile* videri potest, *quot* per dies singulos in civitatem *victualia* ingeruntur, ovorum atque cancrorum multae quadrigae adveniunt; pistus panis, carnes, pisces, volatilia sine numero afferuntur; ubi advesperascit, nihil venale ex his invenies. Vindemia his ad quadraginta dies protenditur, nullo non die trecenti currus onusti vino bis terque inferuntur, ducentos et mille equos in dies ad opus vindemiarum exercent. Et villis praeterea ad festum usque Martini libertas omnibus est vinum in urbem redigere: *incredibile dictu est, quanta vis* inducatur *vini*, quod vel **Viennae** bibitur vel ad extraneos per Danubium contra cursum aquae magno labore mittitur. Vino quod **Viennae** venditur minutim, decimus denarius Principi cedit: ea res auri duodecim milia quotannis ad cameram defert, in reliquum parum oneris civibus inest. Caeterum *in tanta et tam nobili civitate* multa enormia sunt: die noctuque rixae ad modum praelii geruntur: nunc artifices adversus studentes, nunc curiales in artifices, nunc isti opifices adversus alios arma sumunt. Rara celebritas absque homicidio peragitur, frequentes caedes committuntur; ... (**Aeneae Sylvii Historia Friderici III. imp., partes selectae cfr. et Epist. CLXV.**)

III

Vienna inter pulcherrimas barbarorum urbes, licet complures magnitudine prestant, iure numerari potest; Danubium accolit, in cuius ripa diffunditur in orbis speciem. Ut urbi magis blandiatur amnis, insulam e conspectu facit in hortorum usum, qui fructiferis consiti arboribus gravissimorum civium animos relaxant et lascivientem ad cenas et choreas iuventutem excipiunt. Menia duo passuum milia complectuntur intus et extra aggere obfirmata, ne crepitantium tormentorum obtutui sint obnoxia; perpetuo coronantur ambulacro et in corone speciem superbarum turrium frequentia excoluntur, ... Ad caput in ima fossa tantum aque scaturit, ut, cum libuerit et usus tulerit, hac muro ad emissarium retenta perbrevis tota fossa compleatur. Supra portas urbis quadrate turrens consurgunt, ut impetum quenque maximum facile excipiant. ... *Urbs* autem intus, cum adiveris, *non urbs sed regia videtur* ob elaboratissimam structuram tota conspicua; hospitibus tota blanditur et certatim queque domus edificiorum superbia spectatoribus magis placere contendit, remoratur eos neque *pulchritudine sua* progredi patitur; procerum cuncta dixeris esse palatia. ... In fenestris ac specularibus *tantus cultus et luxuria, ut antiquorum sumptus adaequare videatur*; has avibus complent oscinibus garrulisque, ut, cum urbem inambulaveris, per sonoras amenasque sylvas spatari videare; fora,

vici, compita cuncta placent. *Templa spectare licet insano sumptu facta*, imprimis divi Stephani basilicam ac dive genitricis edem, *ubi nihil est artis, quin spectatorem admiratione conficiat*. Turris est, unde non modo totam urbem, sed universum agrum et citeriorem Austriam prospectare licet. Octogona est et ex pyramidali specie desinit in pomum, ubi tot deorum imagines, tot excisos *summa arte* lapides cernere est, ut *nihil dixeris in orbe spectabilius*. Sacerdotum collegia, gymnasia philosophantium, sanctimonialium claustra *prestantiam urbis* adaugent. si Scotorum collegium cum ede lustraveris, si quedam principum palatia inviseris, *Romanam* ad peregrinos *superbiam* traiecisse reputaveris. Hic Scaligerorum Carrariorumque domos, gentilicia insignia recognoscere poteris, qui Padue, Verone Vicentieque ac in Cisalpina Gallia late regnarunt. ... Cum ante bellum census haberetur, quinquaginta hominum milia numerata sunt preter pueros et infantes, *in ludis litterariis septem milia sepe studiosorum recensita*. ... Cauponam domi facere nulli vitio datur; quin et ille prepotens et patricius haberetur, qui eam domi semper retinere potest, quando *ager est* in bibula et frequenti gente *vini feracissimus*. Quare tanta diebus festis hic ebriorum sit copia, ut nulla sine rixa homicidioque celebritas agatur, item diebus festis non solum noctu sed interdum tuto iter facere *Bacchus* inhibet. Quicquid negotiosis diebus plebs ipsa parat, *Bacchanales* absumunt *ferie*. Cum *vino incalescunt* nunc inter Academicos et plebeios, nunc inter rusticos et urbanos *Mars* oboritur et, cum atrox et ceca pugna conseratur, sepe plus equo temulentus ille desevit; non est magistratus potentia, que rixas inhibeat. Voluptates hic vigent presertim veneree. ... Tanta est in urbe *gentium varietas*, ut pauci vel in vicinia se norint. Rara familiarum antiquitas; mercatorum hic magna copia, ... Scripta lege carent; consuetudine ducuntur. ... **Viennensis ager** vinetis et pomariis totus est consitus. *Villae circum amenissime*; ubi elaboratissima spectantur edificia, neque aviaria, piscine ceteraque vivaria desunt; montium appendices, vicorum castellorumque frequentia *viatores omnes admodum oblectant*. Cum **Viennensem** Neapolitanumque **agrum** attigeris, in planitiem longe lateque diffusum *hunc omnibus letis et amenis regionibus tractum sine controversia facile anteferas*; si qua hic quies et tutum otium inveniri posset, *potius Austriam quam Italiam optares*, verum tempestate nostra semper nunc Bohemico, nunc Pannonico bello fluctuavit. ... (**Antonii de Bonfinis Rerum Hungaricarum Decades, partes selectae: Dec. IV. 5. 28-61.**)

IV

Preterea **Vienna** capta pensiles in arce hortos, heliocaminos marmoreosque subducta aqua fecit (Sc. **rex Matthias**). frigidarie calidarieque celle in pensili solo confectae. Inferius quoque hortos excoluit; caveae avicularum et aviaria ferreis retibus obducta; factum in secessu nemus topiariaque loca, ambulatorie circum porticus vitium texture convexe; supra menia

produxit ambulacra ad spatiandum nimis idonea. De faciendo in Danubio ponte (etsi per vitam licuisset, fortasse prestitisset) *Traiani Caesaris invitatus exemplo*, qui prope Sinderoviam marmoreo Istrum ponte traiecit, cuius nonnullae adhuc pylae supersunt, cogitabat. ... (**Antonii de Bonfinis Dec. 4.7.121-123.**)

V

Hic, ubi Ferdinandi stat regia celsa potentis,

Extulit et comptum **pulchra Vienna** caput. (**Nicolai Olahi Carm. 51. 13-14.**)

VI

Unde et **civitate Wiennensi in eadem** post sui captionem in laudem eiusdem domini regis Mathie hoc carmen metricum extitit editum:

Discite, mortales, nimis non fidere muris,
 menia quid valeant, capta **Vienna** docet.

Strenua quid possit virtus et dextera regis,
 exemplo monstrat **clara Vienna** suo.

O *miranda* nimis placidi *clementia* regis,
 cedere non novit, vincere cuncta solet.

(**Johannis de Thurocz: Chronica Hungarorum 262, 1019.**)